~~pag.~~ 1.

R

Observ. ~~1~~ 2.

De Matricis Motu ac præsertim de ipsius tenesmo

Animus merito admirationem subit, tot expertos Medicos, tam veteres quam modernos, adeo parum aut nihil veri de hocce uteri motu adeo scitu necessario, vel dixisse v. scriptitasse. Ut autem hanc rem hodie rite teneamus, consideremus primum accurate, teste experientia, spasmodicum motum intestinorum præprimis cœci, coli et recti, in Dysenteria, diarrhœa, ani tenesmo, aliisque casibus compluribus. Expendamus porro motum spasmodicum renum, ureterum, vesicæ, urethræ in stranguria, dysuria, ischuria varia ubi æque clare ac in prædictis intestinorum morbis tenesmus, i.e. motus spasmodicus aut convulsivus (aut contractionem spasmodicam dicas.) partium ipsarum membranosarum ac musculosarum satis superque quotidie observatur. Quamvis hæc cuncta plerisque Medicinæ cultores Eruditos penitus adhuc lateant, præcipue quod concernit accuratam harum partium spasmi cognitionem, unde tamen obscurissima Morborum symptomata quam facillime, faciliusque, quasi ex aliis fictis hypothesibus hucusque receptis, dilucidari queant, ita etiam si rite advertimus animum, atque scrutamur accurate, consulta experientia, comparet nobis æque facile matricis motus idem aut similis spasmodicus in malo Hysterico gravi, in doloribus porro ante sub et post partum, et denique in doloribus iis immanibus, qui aliquando præcedunt, aut comitantur extra graviditatis statum, menstruum cruentum fœminarum fluxum. Hunc matricis motum spasmodicum jure meritoque

voco uteri tenesmum, qui cum illo prædicto tenesmo ani (i.e. intestinorum, præsertim coli et recti) atque vesicæ urinferæ maximam comunionem aut similitudinem tenet ac refert. Siquidem in hocce triplici trium partium, ani scilicet, vesicæ ac uteri tenesmo, eadem aut similia, quæ parum aut nihil invicem discrepant, phoenomena ac signa comperiuntur, videlicet.

1º contractio aut constrictio spasmodica, ægris admodum molesta, quæ subinde intenditur et augetur atque rursum momento post imminuitur, laxatur et cessat, iterumque accedit et tollitur per vices.

2º Plerumque illum jungitur evacuatio materiæ, quam pars affecta vehit, variæ, nisi pars spasmo penitus occlusa materiam retineat ejusque effluxum impediat, uti interdum contingit in colica pictonum, ischuria atque doloribus partus mixtis.

3º Ipsi dolores gravissimi animadvertuntur in tribus hisce casibus satis obvii et enormes, qui non nisi motus spasmodici (aut contractiones violentæ) ipsarum fibrarum sentientium et se contrahentium in memoratis partibus sensibilibus membranosis nervosis ac musculosis, venditandi sunt.

4º Tandem observatur ipse tenesmus seu spasmus, in ano ad faeces rejiciendas, in vesica ad lotium reddendum, et in utero ad inibi contentum excludendum, ab ægris qui sentitur ad vulvam usque extendi. Sed quid multis ambagibus eruditos morer? dico, quod matricis motus, de quo hodie et olim adeo diverse est disceptatum, quemque moderni videntur omnino negasse atque majores fabulose tamen ac

modo plane incomprehensibili asseruisse, manibus digitis, nunc his nunc illis, pro vario casu, uti revera est, percipi sentiri ac cognosci facile possit. Animum advertatis, oro, ad ea quæ sequuntur.
In malo Hysterico gravi eoque doloroso aegrota dolorem enormem sentit in infimo ventre et quidem, ut ipsa profitetur, in eo loco, ubi matrix sita est, non a sibi, cum constrictione adeo manifesta, acsi omne intus contentum inibi comprimatur, constringatur, nunc deorsum per vulvam exprimatur, nunc sursum, nunc ad hoc illudve latus in pelvi revolvatur. tum conqueritur ægrotas, tangas ibi, quantus dolor! quantus motus! immo globus!
manu tum sentitur nunc sursum nunc ad latus alterum crispatio, vermicularis quasi motus, aut tumor globosus, paulisper cessans et reversus. (res notatu digna et observatu mira et curiosa)
si enim dolor oboritur, manus supra os pubis ventri admota sentit distincte istum mirum matricis motum atque tumorem oboriri atque extingui. Debet autem ille motus esse in solo utero ejusque ligamentis, nullum enim viscus ibi jacet, quod talia phoenomina edere possit. si quis autem forte tum adhuc hæsitet, digitos profunde in- trudat, oro, in vaginam tempore exacerbationis doloris, atque illetum clare satis percipiat, confido, ipsum uterum moveri et stringi.
NB. Ego credo, juxta quod aut totus uterus aut pars ejus, aut ligamenta lata ac rotunda, aut tubæ Fallopianæ, (quæ partes omnes fibris musculosis prædictæ existunt.) spasmo more afficiantur, motum istum mirabundum uteri una cum dolore variare atque, nunc hic, nunc illic ab

ægris sentiri atque ab adstantibus percipi.
Singulare admodum hujus rei exemplum expertus sum admiratus, ante sex circiter annos, unde ad hanc opinionem arripiendam primum inductus sum. videlicet,
Fœmina nupta, 36 annorum, antea quæ ventre quæstum quæsiverat, tunc per menses pessimis uteri doloribus tenesmo ac hæmorrhagia jam fuerat affecta, ubi ea primum visitavi, sceleto ferme similem. Retulit, quod dolores primum circa menstruum tempus solum, sequente fluxu copioso, accessissent, sed quod illi ipsi nunc quotidie affligant, quod dolores supra et infra os pubis cum tenesmo passim in vaginam per vices semper præcedant, fluxusque cruoris sequatur, et quo vehementior dolor, eo fluxus cruoris abundet, et vice versa. Juncta erat lenta febris per paroxysmos, in quibus dolor, tenesmus et fluxus increverat, quod maxime notandum est. Frustra pellentibus aliisque remediis usa fuerat. Nesciebam primum, quid agerem, causam tanti atrocis mali ignorans. Ast ægrota me docuit ea, dicendo, dolor et motus sunt in ipsa matrice, hæc movetur latera versus, sursum, ac deorsum, ut subinde nausea, lypothymia, incidam. In doloris exacerbatione igitur ventrem infimum tetigi diu ac sæpe, atque distincte atque evidenter admodum persensi uteri motum supra os pubis, non nunquam ad ossa ilea, aut altius interdum paulo infra umbilicum sub globi specie, qui in ventre se extrorsum extollebat, ac paulisper permanens cessabat, non erat autem spasmus globosus in abdominis musculis, qui interdum etiam et fœminis et masculis accidit, hanc rem ita edoctus præscripsi anodynum, fluxum sistentia atque corticem Peruvianum

cum regimine frigidiusculo, quorum usu dolor tenesmus et fluxus subito sunt placati. Ast quum ægrota remedias spe[c]tæsa ac fere inepta, cuncta medicamina aversoretur, funditus malum ~~cito~~ extirpari nequivit, successu autem temporis idem omnino quievit. Hacce historia sapientior redditus, posthac omnes motu matricis spasmodico aut convulsivo doloroso atroci misere afflictas facile ac perbreve ad sanitatem redigere potui.

Ex multis exemplis pauca nuper animadversa et cognitu et notatu digna excerpam et hic brevibus adducam. In principio hujus anni 1744 examinavi uxorem ejusdem viri eruditi, quæ temperamento erat sic dicto cholerico, per annum circiter vehementissimis infimi ventris doloribus cum uteri hæmorrhagia enormi, fluxus menstrui tempore usu et delirio, febre, siti, calore, etc. afflictam, misere cruciatam, ~~atque~~ emaciatam, ~~a~~ suis Medicis ordinariis derelictam atque morti traditam, præsertim phtisi quod ipsi sit pereundum, quoniam simul materiem membranosam tunicæ villosæ instar, quotidie per alvum ejiciebat, quam quidem materiam purulentam proclamarunt; atque subinde illa vomitu tentabatur cruento; dolor item immanis quovis mense redibat ante cruoris fluxum adeo vehementer, ut maniacæ instar deliraret atque cursitaret vel per tres dies et ultra, intra quod tempus fluxus cœpit cruoris apparere. Ast ubi copiosissimus accesserit fluxus, dolor cœpit imminui ac tolli, cum cæteris symptomatibus. Medici, ignota ipsis ægritudinis caussa, accedente dolore, tempore nempe instantis fluxus, emmenagoga magna quantitate, præsertim e croco ad multas drachmas unico die adhibendo, præscripserat, cum clysmatibus, atque

6

fotibus calidis externis, absque ullo tamen vel minimo fructu, nisi quod fita Hæmorrhagia horrenda fuerit singulatim excitata, succedente maxima corporis debilitate, manente febre anomala hectica quasi, ita ut ægrota tum temporis, quo ego fui accersitus, per undecim septimanas perpetim lecto fuerit detenta. Caussam horum malorum inquirens, doloris in paroxysmo, accuratissime, seposito præjudicio, comperi motum convulsivum per vices sponte cedentem in eo loco, ubi matrix sita est, sequente fluxu cruoris atroci, quæ mala symp-
" tomata sita perpensa non potui tribuere vesicæ vel intestino recto, ut facile quivis sapiens per-"
" cipere pollet, soli ergo utero istiusmodi malorū capaci. talis enim cruoris fluxus neque ex vesica neq. ex intestino ultimo, isto modo, juncto istius"
" modi dolore spasmodico, provenire pollet. Quid? quod manus ventri infimo admota, cū cæteris attentis, extra omne dubium hocce assertum ponebat, quibus igitur dijudicatis, in ipso dolore ante fluxum et postea in isto cum fluxu, omissis et rejectis cunctis Emmenagogis calidis, spirituosis, uterinis, fotibus calidis, differentibus, clysmatibus, præmissa phlebotomia in brachio, quā alii male in pede instituerant, ~~clysmatibus~~, præscripsi ℞ opij cum ℞ ∅ dulc. aut Vitrioli, aut solum opium purum ∇ simplici solutum, cujus usu solo dolor immanis cū spasmo incantamenti instar unica nocte penitus est sublatus, fluxus cruoris commode secutus, atq. hæmorrhagia enormis cum delirio, febre, calore, aliisque antea aspectu horrendis symptomatibus fuit præventa. Mirum certe fuerit, matronam opium

ab aliis Medicis ante præscriptum semper vomitu
reddidisse, neque illum igitur doloris levamen
percipere potuisse, ast illud a me datum retinuisse.
causa fuit, quod nesciverit, opium esse a me exhibitum,
et quod non Laudanum Liquidum Sydenhamii, quod a
Medicis erat antea exhibitum, sed ut dixi, opium
cum sale tartari solutum, quod aliter olet, præ-
bendum curaverim. En! ars sæpe consistit in minimis
observandis. idem cæteris mensibus accurate peregi,
æque felici cum successu. Interjecto autem inter
paroxysmos tempore corticem Peruvianum (ab aliis jam antea quoque frustra præscriptum)
debita methodo (quæ vero paucis et perspica-
cissimis Medicis nota est) adhibendum jussi.
unde in eundem statum misera redacta est, ut
fluxus absque febre et isto dolore, etc. placide
aliquoties jam successerit, quod mirantur et
Medici et consanguinei, nescii penitus, qualia
remedia id effecerint. Aliud adhuc tandem
adjungam exemplum, maxime notatu dignum;
sub initium hujus anni 1744, uxor cujusdam nautæ,
35 annorum circiter putabat se gravidam per sex menses,
quoniam venter ipsius paulatim erat pedetentim tume-
factus, cum nausea ac vomitu mane præsertim, motu
in infimo ventre instar Embryonis motus, quem per-
sæpe de die et nocte mulier se distincte persentire
asserebat, ad eundem motum, uti antea, quum alias
gravida fuisset, jungebantur febriculæ, faciei pallor,
atq. fluxus menstruus, quovis mense sed parum alteratus,
uti et mammarum quædam intumescentia, judicabat inde
fœmina, se revera esse gravidam. ast sex mensibus com-
pletis corripiebatur ficta gravida ex improviso uteri
hæmorrhagia enormi, detumescente tum penitus
abdomine, nullo tamen excluso fœtu, putabat mi

nihilominus posthac, se mansisse gravidam, quoniam prædicta symptomata et præsertim motus in ventre infimo, ut antehac, perstiterunt, licet nullus ventris tumor amplius apparuerit. circa finem noni mensis duæ obstetrices accersitæ judicabant iterum reapse gravidam, ego negabam pertinaciter ajendo, motum illum, quem patiens sentiret, atque obstetrices quoque manibus tangerent, non esse ascribendum fœtui, sed unice matricis. videbant autem, quod putabant, ipsas et caput Embryonis tetegisse. Urgebam, nullus abdominis tumor est, ubi infans habitet? expectetis tempus, etc. undecimo mense quoque omnes tandem meum confitebantur, nullum esse compariturum fœtum. neque adhuc apparuit. ante memoratis igitur suasi uti remediis, neq. de eorum efficacia vel quicquam hæsito. Quibus omissis, ulterius convincemur motu matricis, considerando rite dolores veros ante sub et post partum occurrentes et comparando istos cum iis, qui fœminis non gravidis fluxus menstrui rubri et albi tempore accidunt, in quibus casibus semper quam luculentissime percipitur verus uteri spasmodicus motus, qui non nisi a desipiente in dubium vocari potest, uti amplius patebit. neque obstat, quod eo tempore, sub his doloribus nempe, simul spasmi, flatus, dolores, motus, in intestinis, ventriculo et œsophago attendantur. siquidem si rite animadvertimus, deprehendimus, eos a matricis spasmo primum fuisse productos.

id quod autem clarius et distinctius intelligimus, quando dolores partus veros et falsos dignoscimus et dijudicamus. namque in doloribus falsis dictis, qui ipsum partum diu aut paulisper antecedunt, observamus constrictiones spasmodicas ventriculi, intestinorum, diaphragmatis, musculorum, abdominis aliarumque partium, neutiquam vero in ipsa uteri substantia,

Sed quidem in orificio uteri interno (quod tum plerumque
fortiter contrahitur, nunquam vero aperitur, uti in
veris partus doloribus contingit) sicuti et in vagina
et vulva, quae tum blandi quasi sentiuntur. Quare et
hi dolores nihil ad partum faciunt, sed illum potius
impediunt atque remedio anodyno facile vel intra
horam plerumque, aut solo opio, aut carminativo ex
Mentha, etc. sedari queunt. At dolores partus
veri e contrario observantur atque manibus tanguntur
in ipso utero toto, tanquam ejusdem constrictiones
spasmodicae aut convulsivae, per vices iteratae, non
autem in ejus orificio interno (uti de doloribus spuriis
diximus) quod potius in gravis doloris veri et fortis
exacerbatione aperitur ac dilatatur, nisi spurii dolores
simul admixti sint, qui veros tum impedire possunt
atq. orificium diu occlusum tenere. Quare quivis
facile intelligat, hosce dolores veros, aut spasmos
dicas, ad partum esse necessarios, fructuosos, inevitabiles,
nihilque esse nisi ipsam uteri contractionem vel motum
spasmodicum atq. ipsum igitur partum esse merum et
solum uteri gravidi motum constrictivum, per vices
qui cito redit, cui autem illico singulatim contractiones
musculorum abdominis, lumborum et diaphragmatis, uti
et costarum junguntur atq. auxiliantur. In quibus autem
vera partus ejusque dolorum causa quaerenda est,
adeo adhuc plerisque obscura et latens. prout ergo
abdominis musculi una in utero contrahuntur spasmodice,
in abdomine parturientes persentire dolores conqueruntur;
sin vero lumborum ac diaphragmatis musculi cum utero
maxime spasmo afficiuntur, in lumbis ipsis esse
dolores, proclamant, et si in omnibus praedictis spasmi
obveniunt, ubique etiam dolores sentiunt. id quod quam"
" maxime demonstrat, uterum non plane passivum in
partu esse, atque minus atq. partes circumjacentes
musculosas.

Ne dicam quidem hic multum de doloribus post
partum, quod sint spasmi non solius systematis
intestinorum, sed praeprimis uteri ipsius; motus enim
et murmur non solum auribus subinde audiri queunt,
sed intrusa tum in ipsa matricem altera manu,
idem motus uteri spasmodicus tangi facile quoque
potest, quum ille manum circumcirca comprimit et
constringit, quod autem praecipue momento exacer-
bationis doloris distinctius et adeo clare percipitur,
ut nemo sanae mentis, nisi qui sensibus non fidat,
haesitare amplius possit. Si porro perpendimus
rite, semotis praejudiciis, admirandam uteri fabricam,
quae conflata maxime sedulo investigatori comparet
ex fibris motricibus infinitis tenacibus, robustis, mire
convolutis invicem, intermixtis solum vasis sanguiferis,
unde tota matricis substantia, quasi fere fibrosa, nisi
quod extus eam investiat e peritonaeo membrana atque
intus alia tenuis, uti et ille nuper a Ruyschio
detectis orbicularis musculus, qui uterum in sua
contractione, quovis tempore, et quavis occasione,
juvare multum potest: ita possumus longe facilius
capere uteri motus possibilitatem.
Non litigabo unquam, cujus naturae hae fibrae sint,
uterum ad indolem fibrarum musculorum subtilissi-
morum (quales intra oculos, aures et alibi occur-
runt) accedant, an aliud quid sint: sufficit, me hic
breviter demonstrasse, quod pauci negent, uterum ex
fibris motricibus maxime esse combinatum, atque
ad motum ac spasmum edendum aptum. Si deinceps
accurate experimur epilepsiam persaepe comitari
aut sequi partus dolores veros, satis superque con-
vincimur, esse spasmum ac motum in utero, si-
quidem illa ab hoc tum oritur per consensum, atque
sit spasmi species a medicis cunctis esse docetur.
Videsis, quod sequitur. Expertus sum aliquoties,

parturientem, veris partus doloribus quæ afficiebatur,
simul affectam fuisse Epilepsia, quæ usque ad fœtus
exclusionem protrahebatur, quando epilepsia, fœtu nempe
excluso, illico cessavit, at contractio matricis spasmodica
adhuc perseverabat per horas, ut non solum illa sub
sono murmuris audiri, sed et, manu ventri admota
ac in uterum porrecta, tangi potuerit, donec ope remedij
anodyni fuerit subito compescita. Multiplex experientia
me insuper docuit, quod ejusmodi contractio uteri
spasmodica post partum aliquamdiu restans, sit per-
severans contractio spasmodica, quæ fuit ante partum
et sub eo, atque quæ epilepsiæ sub partu fuerat comitata,
ejusque ut causa proxima, et per consequens, quod dolores
ante sub et post partum sint veræ contractiones uteri
spasmodicæ ejusdemque naturæ. Negari ergo non posse,
confisus sum ex ante dictis et animadversis edoctus, dari
et invenири in ipso utero, tempore licet vario, variisque
in affectibus contractionem spasmodicam aut convulsivam
quæ multam analogiæ habet cum convulsione et
epilepsia, alteramque ex altera igitur facile provenire
posse. Adjungas huc, epilepsiam non ab utero sed
aliis causis exortam, uterum subinde afficere atq.
abortum producere, uti practici satis norunt. si
quis denique percipit et dijudicat vim et affectum
medicaminum, qui memoratis affectibus tollendis
propria et apta sunt, sententia de uteri prædicto
motu facile confirmetur amplius, oportet. Namque
usus nos docet semper, dolores vehementes et
moderatos post partum, atq. istos ante et sub fluxu
menstruo obvios, uti et illos in malo gravi hysterico,
(qui cuncti in præcedentibus demonstrati sunt esse
motus et contractiones ipsius matricis ejusdemque
naturæ.) [illegible] quiescere tolli iisdem remediis antispasmodicis

et antiepilepticis int. ac externis, puta, opio, castoreo,
asa foetida, croco, succino, cortice Peruviano, aliisque.
comperimus tum distincte summam requiem matri-
cis aliarumque omnium istarum partium circum-
jacentium, ab eundem spasmum, quae fuerant una
irritatae; comperimus autem simul et decernere
coacti sumus, fuisse spasmum eundem in diversis
ipsis partibus ac praeprimis in ipso utero, qui iisdem
remediis auscultavit. Esse igitur uteri motum et
spasmum, licet varium ac gradu differentem, ex
allatis certissimum nunc judico, id quod inter deside-
rata Medica et omissa ac incognita merito pono,
licet scitu maxime necessarium ac utile.

Majores nostri quidem de eo quid memoriae pro-
diderunt, sed adeo obscurum est fabulis mixtum,
ac tam parvae aut nullius utilitatis, ut nemo
sanus id assentire valeat. Videntur de hacce re
somniasse quid, sicut de sanguinis motu, ac de cerebri
actione, quae ultima et illos et modernos adhuc
reapse latuit. credidere mirabilem et plane impos-
sibilem uteri motum, qui ad fauces usque tenderet, ab
iis venditatus est, sola tamen anatomes inscitia.
Moderni e contrario, perspecta absurditate merito
id rejecerunt, sed inde, quod dolendum est, inciderunt
in absurdum contrarium, et theoriae et praxi nocivum,
denegando utero omnem motum, et localem, et quem
spasmum vocamus. immo eo absurditatis provecti
sunt, ut omnem uteri descensum et prolapsum
quoque, contra quotidianam experientiam, mentiti
sint, imprudenter admodum clamantes, ligamenta
uteri adeo firma laxari non posse, ut matrix e suo
loco moveri quiret, quod tamen experientia con-
trarium testatur, et id falsum esse ex hac allatis
pluribus argumentis satis superque suffulciri, credo.
Medium igitur tenere beati.

Scripsi Amstelodami die 2 Augusto 1744.

Joh. Daniel Schlichting
Med. et Chir. Doct. Membr. Academ.
Leopold. N. C. atq. Commerc. Litter. Nor.
Sodal.

N. 3. observ. de aneurismate per breve transferatur.